15 mars. 1764.

Vir inclyte

Litteras Tuas responsorias sub 24 Febr. c. benevolentissime ad me missas die 13. Martii accepi jam dudum exspectatas. Intellexi ex illis, me pro emissa dissertatione de apertionis abscessuum methodo p. mihi ab ejus autore demandata mittere debere onze livres huit sols monnoye de france pro fasciculi vecturæ pretio, secus, ne ejus lectionem quidem fieri.

Miror sane stupendum pretium veredariorum publicorum extraneorum solutionis fasciculi istius, dum reputavi, me in nostra angaria vulgo Post-Comtoir pretium vecturæ jam totum solvisse, nam inscripsi: franco par tout. Sed, quum litteris Tuis, Vir

inclyte, perlectis ibi postea de rei
indole inquirerem, audivi pretium
meum vecturæ octodecim grossorum
hic loci solutum tantummodo usque
ad Vesaliam, seu spatium ultra
dimidium viæ totius pertigisse,
nec ultra terminum Regiarum Prus-
sicarum Provinciarum ibidem ac-
cipi, quia inibi pretium extraneo-
rum veredariorum quoque ignotum
fuit. Hac ratione impossibile mihi
fuit id praenoscere. Plane difficil-
limum praeterea hoc est, absterrens
musophilos ab elaborandis et ad
exteros mittendis dissertationibus
præmialibus, eo quod sudores suos
tanto pretio veredario redimere
teneantur, in spem adeo incertam,
cum tamen, sit venia verbis, institu-
tum academicum non æque difficulter

eo dirigi possit, ut summa quaedam pro vectura pretiis dissertationum praemialium immissarum persolvendo exponatur. Sed, his sepositis! obsequiosissime mitto impraesentiarum ad manus Tuas, Vir inclyte, aureum, vulgo Louis d'or, quinque Imperialium pretio constantem, censens, illum sufficere ad persolvenda vecturae pretia, praedictum scilicet et praesentaneum, dum litterarum tuarum pretium veredarium hic loci sedecim grossis constitit.

Ceterum, ut mihi pariter ac dissertationis autori aequi bonique consulas, est quod ex Tuo, Vir inclyte, favore efflagito; et si fata forsan ferrent, spem nostram de praemio isto acquirendo fore cassam, tamen, quia dissertationi

nostra novum inventum chirurgicum
cum illustrissima Academia Chi-
rurgica Parisina communicatum
inest, ad minimum ejus loco
alteram præmium in Program-
mate a Te benignissime mihi
misso, postpositum dissertationi
huic fore adjudicandum indubie
credo. Vale, ac perge favere

Nominis Tui inclyti

Dabam Neostadii Ebers-
waldensis die 15 Martij
1764.

cultori observantissimo
Macher.
Cons: et Secret:

~~[illegible]~~

payé 24 lt
du 12 .. 13
reste 11 lt 7 s.

1 lt 5 s pour une lettre
et 11 - 8
12 lt 13 s